

V^c
2986





h. 25. 8. M. XXV. 8.

Vc
2986

De

*Illustrissimo, Potentissimoq; Principe ac
Domino, Domino*

AUGUSTO,

DUCE SAXONIÆ, S. R. IMPERII
ARCHIMARSCHALLO ET ELECTO-
re, Landgravio Thuringiæ, Marchione
Misniæ, & Burggravio Magde-
burgense

ORATIO SOLENNIS


*Dieta Lipsiæ in eade Paulinâ, ad celebrandum augustissimam
Divi Principis memoriam,*

Die XI. M. Februarij

ANNO CHRISTI MDCCXII.

à

M. JOHANNES CLINGERO SS. THEO-
LOGIÆ BACVLARIO, ET IN-
clyti Collegii Philosophici
Adessore.



LIPSIÆ,

Cum Privilegio Elector. Saxon.

Valentin. am End excudebat.

19.

17.

52

V I R I S

Magnificentiâ, amplitudine, prudentiâ, virtute & autoritate Præstantissimis & Excellentissimis
J. V. DD. & Judicii Appellationum in aula Illustrissima Electorali Dresdensi Assessoribus dignissimis

Domino JOHANNI TIMÆO, Illustrissimi & Celsissimi Principis ac Domini, Dn. Augusti, Ducis Saxonie, Iulia, Clivia & Montium, &c. in Episcopatu Numburgensi, Cizæ Cancellario vigilantissimo

&

Domino THEODORO MÖSTELIO inclytæ Lipsiensium Reipubl. Consuli meritissimo

Dominis, Patronis ac Promotoribus suis omni studio perpetuum colendis

ORATIONEM HANC EXEQVIALEM

*Testandæ in ipsos observantia ergo,
Dedicat, offert, consecrat*

M. Iohannes Clinger Lipsf.



PARENTATIO D. AV-
GVSTO SAXON. EL. D. XI.
Febr. currentis anni facta.



Funestum, iterum atque iterum
funestum tertium Idus Februarias. O
terq; quaterq; in omnialem & atro car-
bone nobis notandum diem. Ut enim
jam non dicam *Auditores*, de celeberrimo illo *Johanne Stigelio*, quem *Minerva*
ipsa Poëtam fecit, ante annos quinquaginta hoc ipso
die placidè defuncto: neq; de venerabili illo *Starcano*
Episcopo Aichstetensi X. ante annos sexcentos quadra-
ginta quatuor hoc eodem undecimo Februarij ab in-
fidelibus Hunnis jugulato: silentio sanè involvendum
est minimè anniversarium hunc esse diem, quo an-
te annos nonaginta ab *Imperatore Turcico Solymano XII.*
veterum studiorum atq; eloquentiæ memoriâ nobilis illa Rho-
dus semestri obsidione cincta & debellata est. Anni-
versarius præterea hic est dies, quo ante annos quadrin-
gentos nonaginta septem, magnis coactis copiis, *Saxo-*
nes, *Ducibus Lothario & Episcopo Halberstadensi Reinhardo*,
ad sylvam Guelphonis in Comitatu Mansveldio prope Helmste-
tam, in campo ab *alaudis dicto*, animi & per se generosi & re-
ligione Christianâ delibati *Imperatorem Heinricum V.* vice-
runt ac repulerunt. Quae ipsa clade non modo *quadra-*
ginta quinq; militum Casareorum millia trucidata, verum

Eber.
Calend.
histor.
An. Chr.
1562.
An. 968.
Selnecc.

Anno
1522.
Munste-
rius.

An. 1115.

Videa-
tur Chro-
nic. Phi-
lipp. lib.
4. p. 342.
345. 347.

A 2

etiam

etiam constituta sancitaq; à Carolo Magno jura Imperatorum
& annos trecentos conservata atq; defensa à seditiosa do-
mesticorum conspiratione fatali successu, in Pontifi-
cum gratiam, penè uno momento elisa atque ever-
sa sunt.

Anniversarius denique hic est dies, quo ante an-
nos viginti sex cum ingenti omnium ordinum plango-
re, complorationibus & lamentationibus summis *In-*
clytus Saxonie Dux Augustus S. R. I. Archimarschallus & Se-
ptemvir à capite nostro ablatu est, interijt amor ac delicia Ger-
mania, cecidit lumen & columen Religionis, Lutheranorum
præsidium dejectum est. Cujus equidem memoriam omni
& pietate & jure religiosè quotannis renovamus, per-
petuamus, & ad omnem posteritatem propagare con-
tendimus, quod semper ita persuasum fuerit homini-
bus sanis, non Christianis modò, verum gentilibus et-
jam, qui veri DEI ignari fuerunt, quibusq; nihil de re-
stitutione in vitam corporum morte consumtorum,
& vitâ sempiternâ constitit, sua deberi virtuti præmia,
esseq; eos, qui res præclaras gerendo benè de genere
humano meriti essent, non vivos tantum, verum etiam
postquam è vita migrassent, suo laudis & gloriæ præco-
nio prosequendos & ornandos. Has verò dicendi par-
tes, cum ex hoc ipso loco & in hac ornatissimâ fre-
quentia vestra præter opinionem in me suscipere jus-
sus essem, etsi minimè parem huic oneri ferendo me
esse, & alium hanc rem Oratorem requirere intellige-
bam, Tantum tamen abest, ut justissimæ ac honestissi-
mæ magistratus nostri postulationi, vel minimum re-
pugnârim: ut mihi magnoperè etiam gratulatus sim, de

meâ,



meâ, tenuitate tam præclaram spem conceptam, mihi-
que hoc munus oblatum esse.

Meæ igitur tenuitatis conscius non dicam jam de
majoribus Serenissimi Principis A V G V S T I, ejus-
demvé parentibus;

Cum genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi

Vix ea nostra putent:

neq; etiam dicam jam de primâ Electoris nostri insti-
tutione sanè castigatissimâ, quòd in aulâ regiâ Ferdinan-
di Praga, cum ipsius filius educatus, & quasi ab infantia
Reipub. Princeps formatus sit: quodque in eo indoles
integritatis, gravitatis, rectitudinis, sapientiæ, maximi-
que ingenii & singularium virtutum ab annis teneris
enituerit: aut quòd exemplo Othonum Imperatorum jam
æate corroboratâ, linguam Latinam didicerit, & quocunq;
cum aut animi, aut ingenii impetus tulit, id naturæ bo-
nitate & assiduitate intentionis facilimè consecutus
sit: non de munificentia ipsius summâ & beneficiis,
quæ in sacrum ministerium aliosq; egentes, atque in
hanc etiam Academiam beneficentissimè contulit:
deniq; non dicam de ædificiis, quæ extruxit PRIN-
CEPS A V G V S T V S, plurimis & splendidissimis,
adeò ut non immeritò dicere potuisset, *se relinquere*
marmoream suam regionem, quam latinitiam accepisset, quod
Augustum Cæsarem de suâ urbe dixisse accepimus,
quibusq; immortalē per e famam sibi comparavit.

Quæ enim facultas, aut quod Orationis flumen,
potest esse tantum. ut omnia ad dignitatem personæ &
augustam magnificentiam pertinentia possit exponere:
sed *rariora nonnulla virtutum in nostro Principe orna-*

menta, eaq; præcipua duntaxat, insigniora maximeq; eminentia, atq; ipsi *Electori AUGUSTO* propria quasi & peculiaria, non equidem quantum materiæ majestas postulaverit, sed quantum per ingenioli vires, & hoc perquam exigui temporis spatiolum licuerit, oratione persequar. Ante verò quàm hoc faciam, ad vos, *Magnifice Dn. Rector, Academia proceres Amplissimi, & universa concio honoratissima*, me converto, & vos, ut ad exiguum tempus huic meæ Oratiunculæ, sicut facere instituistis, benignas deinceps quoque aures vestras accommodetis, rogo.

Pientissimos illos ac Christianissimos Principes *Electores Saxonie Dn. MAURITIVM & AVGVSTVM* fratres, felicissimæ recordationis, non incommodè *Julio & Augusto*, qui ultimam incoavère monarchiam, conferas *Cesaribus*. Nam quemadmodum *Julius Cæsar* tempore asperrimo clavum imperii tenuit, toto videlicet terrarum orbe armis horrente & perstrepen- te, adeò ut toto illo Imperii sui tempore penè nunquam gladium vaginæ includere, aut armis sese exuere ausus fuerit, ne dum respirare, his ipsis positis, potuerit, ut omnes hostes prosternerentur, & Romanum Imperium pacatum prorsus & tranquillum antea redderetur, quam *promissus Messias JESUS CHRISTUS Dei & Mariæ Filius, ut verus Princeps pacis, Augusto Imperatore* in lucem ederetur: Ita cum Deus opt. max. circa calcem ultimæ monarchiæ, & caliginosum mundi vesperum, lucem sui Evangelii in solatium crearentium splendescere & fulgere vellet, & verò omnes interiorum portæ reluctarentur, & hostes undique suas machinationes,

*Esa. 9.
v. 6.*


quas



quas jampridem concoxerant, promerent, suscitavit Deus alacrem illum & nunquam satis laudatum bellatorem, MAURITIUM, qui antea ubiq; locorum erumpentia incendia vi restingueret, & omnes hostes à temeritate & confidentia sua absterreret pavorem & animi consternationem ijs incuteret, ac in fugam & latebras eisdem impelleret, ut postea à pacifico Electore AUGUSTO sincera & incorrupta Evangelii doctrina & legitimus Sacramentorum usus, pax item & tranquillitas publica ab interturbationibus tuta & incolumis conservaretur, quo divino beneficio pauca jam utuntur fruuntur regiones & regna. Etenim in nostrâ hac patriâ dulcissimâ unicum DEI verbum purum & indepravatum pro palam docetur, & unica verorum Christianorum fides est: in multis aliis ditionibus ac imperiis, licet Evangelio quoque, nonnunquam locelli nonnihil cedatur, tamen simul hostibus veritatis, ut Pontificiis, Jesuitis, & id genus cæteris templa aperta sunt, & publica in iisdem pulpita conscendere indulgetur, id quod hodiè complures dominatus potentissimi in Germania, & civitates imperiales præcipuæ conqueruntur unicè, & ferunt ægerrimè.


Quemadmodum autem Christus etiam Octavij Augusti tempore natus totos 33. annos in terris exigebat, & castissimâ plenissimaq; pietatis religione manifestatâ in crucem tollebatur, & crudelissimâ morte trucidabatur, deniq; post lætissimum & gloriosissimum resurrectionis suæ actum vivus ad beatissima cœli palatia ascendebat, & ad omnipotentem DEI dextram evehebatur: Ita æternus Filius Dei nostro AUGUSTO Electore

in no-



*in nostrâ patriâ etiam 33. annos tentorium sibi & tabernaculum posuit ac collocavit, verbo & Sacramentis præsens nobis adfuit & cohabitavit, & ex nostris sanctum sibi piorum cœtum **communitatemq;** in peculium quasi & æternam hæreditatem **collegit,** & nos per prædicationem puri & incorrupti Evangelij sui ad æternum regnum suum **vocavit,** & nescio quis furor hoc ipso tempore **Principes & Reges unâ cum tetrâ illâ natione perditorum ac profligatorum hominem, qui fraudibus ac mendacijs suis delapsæ de cælo & sibi solis patefactæ veritatis nomen obtendant: & qui, quòd ad legem Dei cupiditates suas dirigere gravantur, legem Dei ad cupiditates suas detorquere conantur:** præcipites agit, ut bellum importunum contra Deum Deiq; Filium moliantur, & horribilibus blasphemis præmissis, denuò eum cruci affigere, & frustra ejus vitam & nomen conentur extinguere, cum tamen eos priorum Tyrannorum & hostium Christi omnium interitus terribilissimus vel maxime abstertere debebat, quò minus ulterius divinam ejus majestatem, utputa, quæ in sublimitate constituta est maximâ, ipsisq; fatis potens in omnia, offendere ac protelare, & adversus stimulum calcitrare animum inducerent. Ac si vel maxime futurum esset, ut justissimus Deus ad talia conniveret, & ob ingratitude ac nostram securitatem membra Christi, proprio ipsius exemplo, ante ejus adventum adhuc, terribilibus malorum fluctibus opprimi, à rabiosis hominibus dilaniari, & omnia exempla cruciatusq; in illa crudeliter edi pateretur: nihil tamen plus suo isto fremitu & insanâ concitatione proficient, quàm ut homines*

sancti



sancti & virtute præcellentes, qui cum Christo in hac vita miserâ fragiliq; peregrinantur, quos Deus jam inde ab omni aternitate ex infinitâ mortalium multitudine selegit, vitâ purâ & castâ actâ in terris, eò citius æternæ beatitatis confortes fiant, & à Deo coronâ justitiæ, quam promisit diligentibus se coronentur: ipsos verò contrâ mensurâ peccatorum suorum gravissimorum æternam condemnationem commertium eò celerius completâ, ardentissimum orci barathrum excipiat, horribile divini furoris incendium comburat, & immanissimus inferorum tortor ac carnifex sempiternis pœnis mactet & dilaniet. Quoniam autem summus ille Dominus omnium rerum ac moderator Deus successorem Augusti constituit Electorem CHRISTIANUM, confidimus planè verum Jehovaham, Redemptorem nostrum Christum Dominum, à quo Illustrissimus noster ille ac Potentissimus, dum in vivis erat, Princeps Christianus nomen erat sortitus, ipsum continuò in numero beatarum mentium comitatu stipatum cœlo descensurum & ad exercendum judicium de cunctis hominum nationibus sese accincturum.

Ac quemadmodum Deus opt. max. Pharaoni Amosi Gen. 41. Regi Aegyptio duplex immisit somnium: unum de 7. tauris, quos totidem macilenti devorabant, nec longa intercesserat mora, ubi alterum quidem, sed eventu ac significato à priori nihil diversum eidem exhibuit, de 7. videlicet turgidis & pragrandidibus spiciis, quas absument totidem arida atq; exucca: hacq; ipsâ insomnii iteratione innuebatur, extremam caritatem è vestigio secuturam, & homines brevi inedia atque fame pressumiri: Ita cum Serenissimus ac Potentissimus Princeps, cognominis CHRISTIANUS II.

B

pauc.



Matth.
25.

paucorum annorum spatio interjecto in locum CHRISTIANI I. felicissimæ recordationis, divinâ auctoritate *surrogatus sit*, certò nobis persuadeamus, jamjam labefactis & convulsis omnibus fundamentis totam hanc pulcerrimam mundi machinam magno ac terribili fragore ruituram, omniaque, quæ cœli terræque ambitu coërcentur, uno incendio combustum atque funestatum: tubarum angelicarum clangorem & sonitum auditum; corpora; mortuorum excitatum iri, & cum animis suis rursus copulata sepulcris egressura esse. Ibi *Christus* in altissimo majestatis ac gloriæ suæ folio residens, *tanquam pastor agnos ab hircis, sic pios ac religiosos homines à sæda impiorum colluvie* segregabit, illos *quidem ad dextram, hos ad sinistram* collocando. Et tunc sententia æquissimi Judicis audietur, pijs quidem jucunda & lætabilis: impijs autem horrenda & formidabilis: *Vos à sinistro latere discedite maledicti in ignem æternum: vos autem à dextro venite benedicti, & possidete regnum ab initio mundi vobis paratum.* Tunc pijs amabilissimum & jucundissimum ver vitæ æternæ: improbis verò tristissima hyems mortis æternæ exorietur. Tunc ex unâ parte horrendæ audientur ejulationes hominum facinorosorum à conspectu Dei & piorum consortio exclusorum, & jam ad luendum æternas pœnas ardentissimum Orci caminum subeuntium: Ex altera audientur lætæ acclamations & gratulationes hominum piorum à cœtu maleficorum sejunctorum, & jam beatissimam cœli aulam omnibus bonis & deliciis circumducentem intrantium. O felicissimum piorum statum: ô miserimam improborum conditio-

nem.

nem. Illi pro ærumnis & anxietatibus, quas in hac vita perpeffi sunt, æternâ lætitiâ ac voluptate perfunden-
tur: hi pro caducis mundi voluptatibus infinitâ tristi-
tiâ ac mœrore afficientur: illi beatissimam Dei faciem,
hi terribilem Satanæ larvam intuebuntur: illi splen-
didissimo Sole gratiæ & misericordiæ divinæ illustra-
buntur: hi cæcâ nocte & caligine iræ ac inclementiæ
divinæ obscurabuntur: illi in medio angelorum con-
cilio immortalē agent vitam: hi in medio tortorum
& carnificum infernorum cœtu perpetuæ mortis hor-
rore conficientur. Sed de his plus hoc loco verborum
facere temporis & instituti nostri non patitur ratio.
Propius igitur ad rem accedamus, & *Divi Augusti* lau-
dum decantationem jam tandem exordiamur.

AUGUSTUS, Henrici Ducis Saxonie filius, Mauricij Autori-
tas.
Electoris Imperij frater, quemadmodum non ad arma, ut
nec Augustus Cesar, sed ad pacem natus erat.

Qualia enim Augusto sub Cesare seclâ fuere,
Talia & Augusto seclâ fuere duce:

*Georg.
Fabr.*

Ita & autoritate ad turbæ turbulentæ furorem & im-
petum reprimendum maximè necessaria præpollebat.
Quod ipsum in vestibulo statim apparuit gubernatio-
nis, ubi pleriq; omnes ultionis cupidine flagrabant, &
belli redintegrâdi desiderio maximè pruriebât. *Etenim*
Divo Mauricio fratre exitu in armis glorioso defuncto,
cû illustriss. Princeps AUGUSTUS, de cujus successione am-
bigi non poterat, tûm in Daniâ apud socerum regē peregrè
ageret, tâta nominis ipsius veneratio, tâta absentis etiâ
fuit existimatio, ut difficilimis illis periculosissimisq;
temporib. cû nullibi nō atrociam bellorū essent incēdia,

ac post victoriam Siverhusanam, terris his capite & gubernatore destitutis, in maximo omnia essent metu & trepidatione, nihilominus tam exercitus quam populus universus in officio retineretur, neq; quisquam hiscere vel mutire, nedum quicquam moliri auderet.

Plut.
Rom.
apoph.

Augusto Casari egregiæ laudi dat *Plutarchus*, quod, cum juvenes nobiles ac dignitate claros inter se tumultuantes vellet compescere, nec auscultarent illi, sed tumultuari pergerent: *audite*, dixerit, *juvenes senem, quem juvenem senes audierunt. Augustus*, enim, interponit dictus scriptor, adolescens ad Remp. admotus est, summaq; fuit auctoritate, *hacq; sola voce illos coercuerit*. Sed quid hic ad Electorem nostrum? qui non senex, sed juvenis, non præsens, sed absens, non juvenes eosq; numero paucos, sed veteranos & exercitatos milites, turbamq; ac multitudinem turbulentam & infinitam repressit atq; cohibuit. O fortunatum & verè augustum Principem AUGUSTUM, qui absens etiam tantum effecit, quantum ullus alius vel præsens, imò omnibus industriæ nervis ac viribus adhibitis & intentis præstare vix ac ne vix quidem potuisset. Quod si absq; eo Principe tùm fuisset, quanti barbarum mutationumq; fluctus concitari potuissent, unicuivis rerum, qui tùm fuit, statum memoriâ repententi & consideranti facile est intelligere.

Prudentia & studium pacis. Apollonophanes.

Neque verò tam auctoritate, quanquam hac quoque, ut modò ostensum, divinitus erat instructus *augustissimus Elector Augustus*, quàm acri iudicio & aliarum virtutum duce, cui reliquæ omnes famulantur, prudentiâ; ad quæ animi promptitudo & voluntas ad arma excutendum, togamq; producendum & subministrandum

propen-



propensa in super accedebat. Hinc omnia ad rationis normam *Princeps Augustus* dirigebat, nihil agebat seditiosum, fortunæ aditus quasi divinâ quadam ratione præoccupabat, nihil nisi quod ad omnes discordiarum fibras ex animis evellendum, stirpes elidendum, semina extingvendum facere videbatur, desideravit, hoc unicum meditatus est, hoc expectavit, speravit, denique *reversus* cum ingenti omnium ordinum gratulatione & applausu *ex Daniâ*, ubi relictam harum regionum & avitæ ditionis gubernationem accepit, primum omnium ad pacem suis, quæ satis incerta erat & afflicta, restituendam, omnem animum & cogitationem adjecit. Idcirco, ut fundamentum quasi rei hujus jaceretur, nihil anteverti studio & curâ cum *Iohanne Friderico*, qui tunc adhuc in vivis erat, *eiusdemq; filijs* transigendi, *scædusq;* quod inter hos, ut & cum *Landgravio Hassiæ* intercedit hereditarium renovandi, passus est, suntq; quæ eam ad rem pertinebant, singulari cum Principum, quorum intererat voluntate, & consentientibus animis in conventu *Numpurgi celebrato* composita transactaque omnia. O rem omnium calamis ac lingvis æternum celebrandam & prædicandam: ô sapientissimum & patriæ amantissimum Principem, qui multas nobiles atq; opulentissimas urbes bello eversas probè intellexit, plerasq; autem omnes pace & ocio servatas. Qui pacis studia magis admiratus est, in quibus bonarum artium disciplina, & vere virtutes quasi theatrum laudis inveniunt, quàm belli, cum furor dominatur, & de strage ac sanguine triumphus ducitur.

Neq; enim ex ignaviâ, quod *Rheginis* fuerit timidior, aut ne viderit quidem, quod aiunt, oleum, bellum declina-

Fortitudo militaris.

vit. *augustissimus Princeps AUGUSTUS.* Quotus enim
 quisque nostrum historiarum tam est ignarus, ut ne-
 sciat in disciplina militari adolescentiæ annos ipsum
 contrivisse, & quid bello atque armis posset, juvenem
 adhuc eundem demonstrasse? An non *Carolo V. Impera-*
tori contra Galliarum regem militavit? an non castra ha-
 buit *ad fanum Desiderij?* & *victoriam assequendo, ad D. Vi-*
etorinum heroiæ virtutis egregium fecit tyrocinium?
 ac iterum *in bello Germania* secutus est ejusdem partes,
contra Johannem Fridericum Electorem? An non perpe-
 tuò *fratris Mauricij* secutus arma, strenuæ fortitudinis &
 clementiæ ejus, honorumque ac dignitatum penè o-
 mnium socius fuit ac particeps? An non denique *bel-*
lum Gothanum, cum ab Imperio ad id gerendum delectus esset,
absque incommodis magnis aut diuturnis confecit, omnemq; ita
Germaniam pacavit? Eadem igitur, intelligitis, facilitate,
 quâ pacem coluit *Princeps AUGUSTUS,* pugnam etiam
 capessere potuisset, si necessitate ipsi aliquâ ad arma
 fuisset deveniendum. Sed nôrat *optimus Elector, virorum*
prudantium esse, si non laceessantur injuriâ, quiescere, bonorum
autem, si tranquillitate uti frui non detur, pacem bello mutare,
ac si benè cesserit, iterum pro bello pacem inire. Magna equi-
 dem est gloria rei militaris, fateor, atque haud scio, an-
 non omnium maxima, & negare nemo potest, *summa,*
quæque imperia bello & armis quæsitæ esse, jacerentq; in tene-
bris nomina nobilium ferè omnium civitatum, nisi rerum ge-
starum splendor illustrarentur. Nec tantam laudem consecuta
 est *urbs Athenarum, quæ mater omnium disciplinarum vocari*
meruit, quantam Roma ipsa, quæ sedes imperij totius orbis ter-
rarum fuisse cernitur, quamvis neutra expers alterius landis

esse



esse voluerit. Nam Roma omnium bonarum artium studijs claruit, & Athenæ belli gloriâ non caruerunt: utraq; enim civitas armatam inermemq; Minervam coluit. Non tamen ferè colitur militiâ, nisi ab iis fortè, qui laborem detrectantes, & veterno desidiaq; torpentes, gulæ, fastui & libidinibus dediti sunt, nec tamen habent crumenam incontinentiæ isti respondentem, nec eâ sunt fortunâ, quæ ocium istud & profusam luxuriam ferre possit: hi vitam exiguo ære vendunt, periculo sese objiciunt, in militiam, ut in campum omnis licentiæ profugiunt, in qua jocus & ludus sunt, domos diripere, fana spoliare, virgines rapere, quodq; longè atrocius est, solidas urbes atq; oppida furenter incendere. Quæ autè est invidia aut dementia etiâ corrumpere, quod obtinere aut retinere non valeas? sed hæc sunt belli decora: profuisse nemini, nocuisse quamplurimis: imò hoc demum videtur esse verè ac germanè militare, nihil arbitrari equi ac boni propter se esse sancitum, nulli se juri esse subditum, se in vagina leges omnes cum ferro gestare: quidquid conscelerato animo collibuerit, id solum esse jus atq; æquum. Crescant igitur sanè armis & bello regna nonnūquam: eisdem tamen quoq; & quidem longè frequentius pereunt & decrescunt. Minus forsan sit in pace splendoris & gloriæ, falsa illius scilicet, sed plus quietis, minus controversiæ ac periculi, & proinde firmitudinis plurimum. Quàm multos poenituit belli vel prosperè cepti? Hannibalem certè ad Scipionem sic accepimus dixisse: Optimum fuerat, eam patribus nostris mentem datam à dijs esse, ut vos Italia, nos Africæ imperio contenti essemus. Sed præterita magis reprehendi possunt, quàm corrigi. Ductus belli poenitentia videtur Hannibal post victoriam

Ludovicus
viges in ep.
ad Henr.
octav.
Angliæ
regem.

TOT

tot annorum profligato, caesoq; toties exercitu Romano, interemtisq; consulibus, & victâ penè universâ Italiâ, quibus rebus id consecutus est, ut omnium iudicio præferretur Ducibus Imperatoribusque omnibus externarum gentium. Quid non aliis usuveniat, ad quos vel nulla, vel exigua admodum militaris gloria redijt? Noluit igitur magnis & multis curis, sumtibus ac discriminibus, sine quibus bella geri non possunt, pœnitentiam emere augustissimus Elector Augustus, sed suis finibus contentus, pacis artes sequi maluit, quando securius tutiusq; ad animi tranquillitatem ducunt, & cum Theopompo rege sapientiss. nullus laboravit, quàm amplum filijs regnum traderet, sed quàm stabile ac durabile. Nulla autem Respubl. instabilior est, quàm quæ sæpè movet arma, cum è contrario pace & concordia non firmentur modò, verùm crescant etiam vel minima regna, quemadmodum discordia magna dilabuntur. Ad summum:

Silius 11.

Pax optima rerum,

*Quas homini novisse datum est: pax una triumphis
Innumeris potior.*

Nullumque est tam felix bellum, quo non potior pax vel iniquissima sit.

Cicero in
Salust.
Virg.
Georg. 3.

O fortunatam natam hanc hoc Principe terram,

O fortunatos nimium, sua si bona norint

Principis AUGUSTI cives.

qui jam nullo interpellante agrum colere, vineas plantare, mercaturam nauticam sine periculo exercere, quæ nobis supersunt evehere, & permutando ac vendendo ea advehere, quæ necessaria sunt, aliisq; vocationis operibus vacare, studio & industria victum quæ

ritare, l



ritare, optimarum artium studiis operam navare, parta tutari & conservare, cum dulcissimâ uxore & suavissimis liberis ab incursionibus militum vacui & securi in utramvis dormire aurem possunt.

At enim verò, quoniam quidem


Non minor est virtus, quam querere, parta tueri,
non contentus pacem hac in parte sancivisse & confirmasse *Illustrissimus Elector AUGUSTUS*, ne hæc ipsa etiam turbaretur, sed sarta & tecta, ut aiunt, ab omnibus seditionibus, latrocinijs & injuriis sincera integraque conservaretur *nutriculâ illâ & alumna pacis, dominâ omnium & reginâ virtutum, quæ tantam sui, quantam ne Hesperus quidem aut Lucifer admirationem excitat, divâ videlicet justitiâ nihil prius, nihil duxit antiquius.* Hinc & *constitutiones*, quas *Electorales* vocant, per consiliarios & J. C. conscriptas, eâ autoritate promulgavit, ut per totam provinciam adhuc inviolatæ serventur; & celebratissimis illis ab ipso constitutis *dicasteriis & solennibus aulicis duobus*, cæterisque tùm *oppidanis* passim & *provincialibus*, tùm *Illustrissimæ aulæ proprijs*, ut & *Ecclesiasticis Electoralibus judicys & scabinatibus*, omnibusq; in universum magistratibus, viros optimos & iudices graves, severos, integros, ab adulatione alienos, incorruptos, immobiles, & virtute, veritate, majestateq; verendos, quantum in ipso fuit, præfecit, quod non ignoraret, *tales existimari Principes, quales sunt illi, qui gerunt eorum vices.* Naturæ n. suæ morbum egregio indicio prodebat *VESPASIANUS* *Cæsar* cum rapacissimum quemque ad amplissima munera, magnosque magistratus promovebat, quò locupletiores factos deinde majore pecuniâ emungere at-

Justitia.

*Obid. 2.
de arte
mandi.*

C

que



Camillus Gili-
nus lib.
de justitia 6.
cap. 5.

Niceph.
Callist.
lib. Ec-
clesiast.
hist. 3.
cap. 23.

que exhaurire posset: unde vulgò dicebant, *Vespasianum amicis pro spongijs uti, qui siccos madefaceret, turgidos verò exprimeret.* At quantò satius *Antiochus tertius Asia Rex omnibus regni sui urbibus scripsit, si quid in literis, quæ ejus nomine darentur, esset, quod legibus adversum videretur, crederent, ignaro se ejusmodi literas conscriptas fuisse, & propterea eis non parerent?* Sanctissimum profectò verbum, & quod justo regi maximè conveniat: ut quemadmodum ipse populis præest, ita ipsi leges atq; æquitatem præesse intelligatur. Sic & *Trajanus Imperator justitiæ & æquitatis studiosus adeò fuisse fertur, ut aliquando ensem strictum præfecto urbi in conspectu omnium dederit atq; dixerit: Cape ferrum hoc, & si quidem rectè imperium gesserò, pro me: sin aliter, contrà me hoc utere.* Ad horum exemplum sese conformando *Iustissimus Princeps Augustus, & fidem in dictis factisq; servari voluit, nec quenquam ullâ in re injustè & præter æquitatem gravari.* Quamobrem semper in ore habuit, crebrisq; sermonibus ad suos, quorum in decidendis negociis operâ uti solitus est, usurpavit præclaram hanc vocem: *Etiã atq; etiã videte, ne cuiquam fiat injuria, omniq; spretâ gratiâ, repudiâtâ largitione, sepositâ necessitudine, liberas afflictorum querimonias audite, injustè oppressos atq; desertos juvate, nefarios flagitiososq; punite, temerè impetrata remittite, per vim ablata restituite, incolumitati deniq; omnium atq; saluti, paci, concordia, libertati consulite.* Atque ubi sententiam iniquiorem ab aliquo latam esse, aut subditos injustè gravatos comperit, immanè, quantâ id tulerit cum indignatione, quamq; graviter ultus sit.

Cùm



Cùm tamen nulla procul dubio officia potiora sint, nec quæ magis Principem commendent, quàm ea, quæ per clementiam, æquitatem, mansuetudinem, misericordiamq; exhibentur, quod *Isocrates Regi suo præcipit, delicta non culpa magnitudine, sed clementiâ misericordiâq; demensus est augustissimus Princeps AUGUSTUS*, & ad *C. Cesaris exemplum nihil facilius, quàm injuriarum est oblitus*, *Philippumq; Macedonem imitatus semper meminit, se hominem esse, & per misericordiam se similem Deo fieri,*

Qui cuncta sonoro

Concutiens tonitru, Cyclopum spicula defert

In scopulos, & monstra maris: nostriq; cruoris

Parcus, in Oetibais exercet fulmina sylvis,

nihilq; magis in votis habuit, quàm ut cum *Antonio Cesare cognomento Pio sine omni civili sanguine regnaret*: cum regium omninò non sit, acerbè crudeliterve in eos, qui fontes habentur, animadvertere, sed consilio & sapientiâ eis mederi, ut deinceps culpam potius vitent, rationis memores, quàm ex sevitia formident. Ut enim boni medici est, unguentum potius adhibere, quàm ferrum: Sic gubernatoris, clementia & benevolentia potius, quàm se veritate populi morbis occurrere.

Quo ipso æqua lance pensitato, malebat multos clementia & mansuetudine servare noster ille Elector clementissimus, quàm paucos se veritate perdere. Cum non ignoraret, malos benevolentia & clementia interdum citius, quàm se veritate in viam virtutis revocari posse. Et, ut unico verbo me expediam, talis Princeps erat privatis, quales esse sibi Princeps privatos optaret, *Theodosium juniorem* hac in parte secutus, qui rogatus, cur neminem eorum,

Clementia & mansuetudo.

Claudian. in laude Stiliconis pameg. 2.

Panor. lib. 2. de Alphonso reb. ges.

Trajan. dicit. refer. Brus. lib. 3. cap. 4.

Spieg. in
lib. 2.
cap. 47.
Panor.
de reb.
gest. Al.
phons.
Eras. lib.
8 apoph.

Laërtius
lib. 1.
c. 4.
Plut. in
apoph.


Severi-
tas.

Menan-
der. L.
Columel.

à quibus lædebatur, supplicio capitis afficeret? Respondit, *utinam mihi liceret & mortuos ad vitam revocare.* O clementiam omnibus Principibus imitandam, & nostro hoc seculo inter potentes rarissimam. Quibus tamen longè satius esset *Chiloni* auscultare, qui docuit, *potentiæ adjungendam mansuetudinem, ut à suis Princeps non tam metum extorqueat, quam impetret reverentiam.* Reverentiæ enim comes est amor, metus odium. Amari autem non solùm honestiùs, verùm etiam tutiùs est. Et *Cato major* admonebat eos, qui potentes essent, ut *parcè uterentur sua potestate, quò semper uti possent*, sentiens, potentiam clementiâ & comitate diuturnam fieri: ferociâ brevem & momentaneam.

Vt autem nullâ re magis illi, qui Rempub. gubernant, præcipuè Reges atque Principes commendantur, quàm benignitate ac misericordia: unde *hanc Athenienses non pro virtute modò habuerunt, verùm pro Dea etiam coluerunt, eiq; templum & aram erexerunt*: Ita severitas etiam Regem ac Principem plurimum addecet, majestatem quandam præstat, & dignitatem auget, redditque eum inter mortales, quasi *divinum aliquod Numen, quod homines non modò venerantur, verum etiam adorant.* Perutilisq; est hæc virtus omnibus in rebus agendis, & præcipuè in jure dicundo, & in plectendis fontibus, inaneq; clementiæ speciem longè multumque vincit. Hinc sic egit, quod ille monuit, cum subjectis *Illustrissimus Elector AUGUSTUS, ut magis vererentur severitatem ipsius, quàm ut sevitiâ detestarentur.* Et sanè severitatem quandam salutarem, ut nonnunquam usurparet *augustissimus Princeps AUGUSTUS*, necessè omninò fuit.

Ruere



Ruere sensim res, quantumvis ipso accuratissimè attentissimeq; advertente, cernebat in præsens exitium, latrocinia multis locis invaluisse, fraudem & perfidiam hominum gliscere experiebatur, deprehendebat molitiones occultas & conspirationes à nonnullis fieri, ejusmodi etiam, quibus vitæ ipsius insidias aliqui pararent, atque omnium immerentissimi, & pacis quietisq; amantissimi jugulum peterent. In hoc rerum discrimine, & tantâ tamq; detestandâ audaciâ coërcenda ac refrenanda circumspexit *AUGUSTUM Principem*, & ad omnes, ut dicitur, ictus præcavendos intentum esse oportuit, & nè malum serperet longius, exempla nonnunquam statuere talia, quibus à flagitiosis machinationibus deterrentur cæteri. Quemadmodum enim *Medici initio morbi lenia propinare consueverunt pharmaca & μαλακῶνα*, ut vocant, quibus, si fieri possit, molliendo materiæ pravitas, ægritudini occasionem præbens, educatur: ubi verò his nihil proficitur, morbiq; vis ingravescit, & fit vehementior, *alia acriora & mordentia adhibent, quin etiam, si necesse sit, ad sectiones atque ustiones procedunt*, non profectò alieno & inimico erga ægrum, morboque sævo & periculoso conflictantem animo, sed ut vi morbi hac ratione repressâ sanitati æger suæ restituatur, maluntq; unam corporis partem dolorem exquisitum sustinere, aut abscindi etiam penitus, quàm totum corpus in extremum discrimen deduci: Ita magnos, penes quos summa rerum potestas est, Principes & gubernatores sæpenuerò contrà animi sententiam asperius in extremæ deploratæque peruersitatis & malitiæ homines animadvertere, senten-




tiasq; paulò duriores ferre necesse est, & *immedicabile vulnus ense rescindere*, ne reip. status & communis societatis conjunctio detrimenti aliquid capiat, utque alii moderatè viventes pace optatâ perfrui possint.

*Studium
& cura
religio-
nis.*


Hanc ipsam verò pacem tantoperè expetivit, eandemq; obtentam quâ lenitate, quâq; severitate tueri studuit *Serenissimus Elector AUGUSTUS*, nullâ aliâ de causâ, nisi ob unicam, *quam inter arma vel maximè nove- rat silere*, religionem. Cumq; sciret, nullum beneficium à gubernatore & Principe in subjectos potestati & commissos ad protegendum fidei suæ conferri posse majus, *copiâ salutaris doctrinæ & sanctæ religionis*, totum se ad Ecclesiastica negotia, resque divinas & scholasticas procurandas constituendasque convertit. Cumque ea tempestate ab *Imperatore indicta essent comitia Augusta Rhetorum & à Romanorum Rege Ferdinando*, amanter præ aliis, ut ad comitia illa veniret, invitaretur *Princeps Augustus*, non quidem adesse præsens ipse potuit, verùm missis legatis se, quo minus venire ipse potuerit, purgavit, adducendo causam hanc, quod, crepto terris *MAURICIO fratre*, *Saxonia* status minimè sit tranquillus, vel admodum potiùs perturbatus: simul eò literas graviter scriptas & religiosæ pietatis plenas Ordinibus Imperij offerendas curavit, in quibus per occasionem delapsus in mentionem *tyranni Turcici*, quanto in periculo ver- setur *Germania*, demonstrat, quæ ipsa cum florentissima potentissimaq; olim fuerit, nunc tot incommodis fracta, ancipiti contentione adeo distracta, tot bellis labe- facta, debilitata & exhausta ægrè se viresque, quales quales eæ sint, tueatur. Hoc malum eò esse pernicio-

fius,




frus, quò major sit inter *Imperij* optimates cum diffi-
 dentia conjuncta animorum alienatio, maximè quod
 ad veræ sinceræq; religionis causam attineat, quam o-
 mnibus arietibus oppugnare non desistant ii, qui à par-
 tibus stent eorum, qui contrariam & adversam religio-
 nem & veteres abusus defensent, tantum abesse, ut de
 piâ aliquâ multiplicium errorum emendatione insti-
 tuendâ cogitationem suscipiant: Petere se contende-
 req; vehementer, quando quidem post susceptos pluri-
 morum annorum labores & inita consilia, consensio-
 nis concordiaq; via aliqua, ita fortassis Deo æterno ju-
 stissimâ irâ pertinaciam hominum in adversando veri-
 tati cœlestis doctrinæ vindicante, reperiri nondum
 potuerit, ne liber ille *sanae doctrinae confessionē exquisitè com-
 prehensam, & perspicuè descriptam complectens, qui Augustæ,
 presente in solenni conventu Carolo Cesare, sit exhibitus, tan-
 quā pravus & impius damnetur: Esse illud extra omnē
 controversiam scriptum pium & præclarū, quod Filium
 Dei salutis autorē nobis monstret, puritateq; doctrinae planè con-
 sentiat cū veteri & orthodoxâ Ecclesiâ, cūq; præcipuis illis qua-
 tuor patrū celebratis concilijs, quod opera, quæ à vere Christia-
 nis fiunt, magnoperè commendat, populumq; ad obedientiã de-
 bitam magistratui præstandam etiã atq; etiam cohortetur. Hæc
 & similia in literis illis graviter ornateq; differuit Ele-
 ctor AUGUSTUS, ex quib. animo pietatis pleno, & cōstan-
 te in sincera salutariq; quam semel amplexus esset, do-
 ctinâ, proposito, in ipso mox gubernationis aditu, sa-
 tis superq; eu perspecto, Cesar & cæteri primores reli-
 gionis Lutheranae professionem liberam, jam ante à MAURI-
 CIO vi extortam Passavij, Augustana Confessionis Principi-
 bus concesserunt, ipsiq; nostro Duci absentis ut presenti, Electoris*

insignia



insignia, quæ nomine ipsius Iohannes Hoierus Comes Mansveldius accepit, contulerunt. Hoc fundamento jacto, non quiescendum sibi esse arbitrabatur Serenissimus Princeps AUGUSTUS, priusquam sanam & sobriam doctrinam, absterfis fuliginibus, pristino nitore restituisset, nihilque faciebat reliquum, quod ejusdem depravationi antevertendæ videbatur conducere. Idcirco toties consilia de optimo Religionis statu iniit, toties Theologorum diversis in locis immensis impensis sumtibus, conventus haberi voluit, totosque tres & triginta, tot enim regnavit annos, in perpetuis laboribus, molestiis, curis ac privilegiis transegit. Statim enim eo ipso anno, quo Religionis Evangelicæ libertatem impetrârat, totum Electoratum lustravit, conceptique sunt generales, quos vocant, articuli, & biennio post, octavo Idus Majas publici juris facti. Anno quinquagesimo nono supra millesimum quingentesimum, cum harum regionum Theologis tanquam probrum objiceretur inconstantia in religione, quasi ab Augustana Confessione descivissent, edito, Serenissimi Electoris Augusti mandatu, corpore doctrina, & secutâ dexterâ hujus ipsius libri & luculentâ interpretatione, sese iidem declaravere, calumniamque istam diluere. Biennio post in conventu Principum, qui Numpurgi ad Salam fuit, pientissimus Princeps AUGUSTUS, correctâ, ut vocabatur, Augustanâ Confessione, quam pro verâ obtrudere nonnulli audebant & conabantur, explosâ ac repudiatâ, veram & nativam confessionis illius formulam severitate magna restituit, eamque cum aliis Principibus subscripsit. In qua etiam se constantiâ summâ perseveraturum esse, in scripto ad Casarem Ferdinandum, quem ad trans-

actionem



actionem Passaviensem infringendam labefactandamq; sollicitare non desistebant adversarii, pollicitus est. Anno sexagesimo octavo, cum denuò spinosis, periculosis & infidiosis contentionibus & digladiationibus Theologicis calumniandi ansa adversariis præberetur, Ecclesiæque perturbarentur, & verò disputatores ad Colloquium provocarent, Sereniss. noster Elect. clementissimè assensit, Theologosq; suos eâ ipsâ de causâ Altenburgum ablegavit, ubi initium Colloquij duodecimo Calend. Novembres factum est. Triennio post, ubi de Personâ Christi, de ejus ascensu in cælum, de dexterâ Dei, & de Cænâ Dominicâ varij spargerentur libri, & aliàs passim clam palamq; de iisdem disceptaretur, Theologos ex utraq; suâ Academiâ & ex tribus Electoralibus judicijs Ecclesiasticis, omnium item harum regionum Ecclesiarum Superintendentes Dresdam accivit, ut controversias istas, fundamentis ex doctrina coelesti hauritis, dirimerent, darentq; operam, ut ad unanimitatem reducerentur, perspicuamq; declarationem articulorum modò commemoratorum afferrent, unde CONSENSUS, ut à loco vocabant, Dresdensis conceptus & emissus est. Anno 74. cum controversia de Cænâ Dominicâ indies magis magisq; invalesceret, idq; ipsum Serenissimo nostro Electori curas & sollicitudines non leves injiceret, quietem interturbaret, & quod sæpius conquesta est Illustriss. illius excelsitas, senium acceleraret, in conventu provinciali Torgæ tunc indicto præcipuis, quos eò vocârat, Theologis, ut planam & plenam articuli modò commemorati declarationem afferrent, seriò PRINCEPS in mandatis dedit. Qui ipsi etiam continuò confessionem brevem conceperunt, eandem exhi-

D

buerunt,



buerunt, & postea communem multis per typographū fecerunt, quidnam videlicet hætenus de illo articulo publicè docuerint & senserint, & quas præterea corruptelas refutârint & rejecerint, monstrantem. Suntque tum concepta *interrogatoria*, quæ omnes subscribere oportuit. Quod si qui fortè id facere recusârunt, in cōtinenti magna severitate sunt puniti. Anno proximè sequenti, ut erumpentibus controversiis Ecclesiasticis vel minima etiam præcideretur occasiuncula, *lustratio* totius *Electoatus & generalis visitatio* instituta est, ubi præter piam, quæ instituebatur, *commonitionem in Pastorum doctrinam, vitam item atq; mores* accuratè fuit inquisitum. Anno subsequenti Idibus Februarijs *Illustrissima ipsius Excelsitas* Theologos nonnullos, & quidem senili prudentia & rerum usu præstantissimos atq; primarios *Lichtenbergam* evocavit, concupiitq; certior fieri, quænam præcipua causa esset distractionum, quæ ipsis non cum *Cabviniæ*, alysvè *hereticis*, sed secum ipsis, qui aliàs puri & minimè suspecti haberi vellent, intercederent, & quomodo lites istæ componendæ. Cujus voti compos factus *Illustris. Elector Augustus* mirificè exhilaratus est: pauloq; post cum iterum *deflectere* nonnullos de rectâ sententia *Confessionis Augustanæ* sentiret,

Virg. 1.
Georg.

Sic omnia fatis

In pejus ruere, & retrò sublapsa referri,
frequentem illum & plenum conventum Ecclesiasticorum celebavit, ad quem omnium vicinorum Principum & ordinum Theologos primarios invitavit, ubi Serenissimus noster Elector ipse præsens per Doctorem Lindemanum seriò eis in mandatis dedit, ut rem piè & accuratè expenderent,

fchi-

schismata tollerent, & ad veram constantemq; sententiam proferendam omni diligentiae studio incumbere-
 rent. Ad quam commonitionem *status controversia de*
singulis fidei articulis, tum affirmativa tum negativa senten-
tia, ex veritate coelesti concorditer pensabatur, & à juratis
tabularijs CONCORDIA five consensus doctrinae ad *Augu-*
stanam Confessionem accommodatus concipiebatur, &
 postea aliis *exterorum Electorum ac Principum Theologis*
 censenda transmittabatur, *ultraq; sex hebdomadas conven-*
tus hic Torgensis duravit. Anno 77. quarto nonas Iunias prima-
rij Theologiae DD. conceptam Formulam Concordiae in caenobio
Bergensi mandatu *Illustrissimi Principis clementissimo* adhuc
 semel diligenter recognoscere & perpendere coacti
 sunt. Quo facto, *alijs Principibus vicinis & Religionis socijs*
 missa est, ad mendulas, si quae fortè deprehenderentur,
 expungendum. Præter jam enumeratos adhuc plures
 aliis in locis, & postremus quidem *Quedlinburgi* ex ius-
 su *Illustrissimi Principis* conventus celebratus est, in quo
 ob censuras nonnullas ab *harum & aliarum regionum*
Theologis de Christianâ unanimitate ineundâ laboratum &
 consultatū est. Anno eodē *Consensus iste doctrinae* approba-
 tus omnib. ministris, *tum hujus tum aliorum etiam Confes-*
sioni Augustanae addictorū Electoratum, Ducatum, & domi-
natum, diversis in locis degentib. probè expendendus
 propalam prælectus, & *ab universis ac singulis unanimiter*
subscriptus est. Hinc ab *Illustriss. Electore nostro* constitutū
 est, ut *omnes & singuli Superintendentes* cum iis, qui ipfis
 adjūcti sunt, *singulis semestrib. in Quadragesimâ* nimirū si-
 ve jejuniis, & à *messe locale visitationē juxta præscriptū Electro-*
rale ipfis exhibitū susciperēt, & si qua forte desiderarēt,



ad aulam deferrent resarcienda. Anno subsequenti 11. Cal. Septembres Theologi Electorales Saxonici & Brandenpurgici ad instituendum cum Anhaltinis colloquium, Hertzbergam ablegati sunt, præsertim cum affirmaretur, de multis controversiosis articulis ipsos ejusdem esse sententiæ, nec contrariari sibi, sed *sinistrum duntaxat intellectum vocularum nonnullarum vixas & contentiones parere.* Anno 79. mense Februario, cum Illustrissima ipsius Excelsitas plurimum referre censeret, ut licita investigarentur media unitatem Deo gratam pure & indepravata doctrina in posterum Dei beneficio constanter conservandi, fidos suos ordines provinciales Torgam evocavit, iisdemque conceptam constitutionem examinandam exhibuit, eorundemq; judicium de ea ipsa exposcit. Ad quorum ipsorum ordinum factam commonitionem nova ista constitutio de doctrinâ, caerimonijs Ecclesiasticis, Academijs, Electoralibus judicijs Ecclesiasticis, scholis illustribus & trivialibus, Lustrationibus seu visitationibus, synodis, & id genus cæteris perscripta & confirmata, omnibusq; Ecclesijs missa est. Anno subsequenti post confirmationem supremi Electoralis judicii Ecclesiastici, quod Dresdæ est, subscripta, & ab Augustanae Confessionis socijs approbata Concordia sive consensus doctrinæ typis excusus, & Ecclesijs omnibus in depositum missus est. Trienniopost, cum dictus liber in nonnullis articulis carperetur, & in sinistrum sensum detorqueretur, potentissimus noster Elector unâ cum vicinis & Augustanae Confessionis socijs, pijs Electoribus & Principibus, alijsq; magnatibus, qui antea Concordiam sive consensum doctrinæ subscripserant, necessarium duxerunt, ut constans, fixa & fundata defensio puræ doctrinæ scriberetur. Hinc liber

Apolo-



Apologia à nonnullis primarijs Theologis Erphordia conceptus & ad censendum huc & illuc missus est. Qui postea anno subsequenti in vulgus emanavit, & ad Ecclesias omnes perlatus est.

Tanta molis erat doctrinam condere sacram.

O Pientissimum & Religiosissimum Electorem AUGUSTUM, O verum, qualem Deus vult esse Principem, Ecclesie nutritium. Qui ut regnum suum illis Ecclesie pestibus hereticis purgaret, ut illius hydrae, & in suam & aliorum perniciem contumacis, assidue renascentia capita amputaret, in quæ hominum odia incurrit, quas inimicitias, quam sibi invidiam conflavit, quibus se periculis objectavit, quæ tædia, quas hominum ineptias & stultitias devoravit, quas animo molestias cepit, quos labores exantlavit, quibus curis, sollicitudinibus & vigiliis sese confecit, & maceravit, quos sumtus, quam operam insumsit? Etsi verò celebrati ab eo conventus omnes non eum semper, quem ipse exoptavit, habuerunt exitum, hoc tamen iis effectum est, ne novæ subinde, ut fieri consuevit, opiniones in cœlestem doctrinam inveherentur, & ut contentiones mutuarum insectationum quiescerent, resque Ecclesiastica in mediocri esset, continereturque statu & tranquillitate, quo nomine ipsi etiam mortuo debentur, quantas animo concipere possumus, maximæ, habenturque; meritò à nobis gratiæ.


In primis autem tibi, omnipotens & aeternæ Deus, aeternæ Pater Domini nostri JESU CHRISTI, gratias agimus, quod per salutare organum tuum Principem AUGUSTUM Imperij Septemvirum pacem nobis & posteris conciliaisti, sidus serenissimum, verbi tui exoriri sivist, Sacra-

*Virg.
Aenei, 1.
Es. c. 49.
v. 23.*

menta quisquiliis, scoriis & rubiginibus Pontificiis liberasti, & defecasti, & ab aliorum hæreticorum depravationibus tuta, facta & tecta præstitisti. Teq; ardentibus votis & gemitibus oramus, ut deinceps etiam tranquilla & pacata halcyonia Ecclesiæ tuæ largiaris, eidem semper præsens adsis, hanc gubernes, hanc conserves, hanc deniq; contra furorem & insaniam mundi, contra violentos impetus diaboli & organorum ipsius, mortis & omnium aliorum hostium defendas ac propugnes.

Cumq; miseram tuam naviculam, Jesu Christe, in hoc turbulentissimo mundi oceano, quò propior novissimus dies est, eò rabiosius immanissima cete hujus mundi hæretici & tyranni, præsertim verò Pontificij & Turcæ conquassent: In tanto periculorum concursu, quæ nullo humano consilio, nullo humano auxilio averti ac propulsari queunt: Tu ipse Fili Dei fidissime & peritissime gubernator adsis: tu ipse remis adhibitis cursum navigationis dirige: tu ipse Domine & moderator omnium rerum, rabiem & furorem maris reprime: tu ipse salvos nos & ab omni periculo incolumes conserva: Sacro Romano Imperio de capite & invictissimi Rudolphi II. successore, qui ad supremum dignitatum apicem & majestatem imperatoriam evehctus, Christiani orbis moderetur habenas, idoneo prospice. Tutare Principem, ac Dominum nostrum Serenissimum, Dominum JOHANNEM GEORGIUM, Ducem Saxonie, Julie, Clivia, Montium, &c. Imperij Electorem, vestigiis avi hujus sui laudabilibus, summo studio, contentione & æmulatione insistentem, eiq; cum Illustrissima Conjuge partui jam vicina, soboleq; sæmella inclyta, viduâ utraq; Electorali pientissima, &


fratre



fratre, avo, de quo omnis sermo noster adhuc fuit,
ὄμωνύμω, Principe Celsissimo, Sororibusq; generosissimis, diutur-
 nam vitam, tranquillamq; gubernationem largire: &
vicariam Imperio operam hoc tempore navanti, gratiâ &
 Spiritu tuo assiste, atq; *in comitijs provincialibus jamsam*
instantibus consilia ad tuam gloriam, veræ & sinceræ
 doctrinæ coelestis conservationem ac propagatio-
 nem, hujusq; *Principatus* salutem & incrementum diri-
 ge omnia: ut tibi hîc inter nos colligatur deinceps san-
 ctus piorum cœtus, & communitas, perpetuis lau-
 dibus & celebrationi nominis sanctissimi
 tui æternùm infervitura.

D I X I .

F I N I S .



No 7986

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



mc

Handwritten mark or signature at the bottom center.



ULB Halle
004 788 990

3



WOM






Illustr
A
DVCE
ARCHIM
re, Lan

O
Dicta Lipsia

AN

M. JOHA
LOGI

Va



ac
ERII
CTO-
one

siman

I.
THEO.
N.

19
24

Vc
2986

